Nr. 329) Pax Christi [An inlucanus] [= Acer. A. 13 = Nr. 31]

Nihil fieri abs te potuit benignius, nihil humanius vir ut optime: ita etiam doctissime: quam quod ex ista in qua vivis, amplissima celebritate, hunc senem Compitalitium non dubitasti tua benevolentia prosequi, eundemq; ad mutuam benevolentiam provocare. Equidem animum tuum ad sincere diligendum, et studium meum atq; officium tibi quem merito veneror, et maximi facio libenter et ingenuè defero: sed profectò si satis perpenses, hunc frustra seipsum concionantem, Magistrum Cudi, tanta inimicitiæ mole pressum, tot hominum odiosis obtrectationibus, tanquam flammis undiq; vastatum, penecq; discerptum, nunquam eum talem, tamq; deformem in amoris societatem reciperes, ne si te observaret vltro quidem. Namq; etsi nullius mihi sceleris conscius sum, vel in doctrina fidei, vel in ijs moribus qui decent servum Christi, & semper omni obnixè contendi præstare me senem ὑγιαίνοντα τῇ πίστει, τῇ ἀγάπῃ, τῇ ὑπομονῇ. Tum autem quietus curam res proprias, circum scriptus terminis meæ Scholasticæ vocationis:) Attamen per vicinarum Scholarum Rectores, et per nonnullos etiam huius ciuitatis Theologos, nunquam meum nomen quiui asservare, ab obscœnis maculis quæ spargi solent in hominem irrequieti ingenij, malèq; de Dei doctrina sentientis. Quamobrem vide etiam atq; etiam vir multis nominibus clarissime, ne forte imprudenti arctiori aliqua ~~cum~~ familiarietate tentaris, cum hoc homine, cuius mendax illa quidem, sed tamen late disseminata infamia, honori tuo detrahere possit aliquid in posterum, tuæq; eximiæ dignitati. Ego nihilo secius malevolis illis relictis, quos certo scio τοῖς διδασκαλικοῖς συμφέρεσθαι διεσπαρμένους περὶ τὴν τέχνην ἐπιστήμην: Virum multis litteris, magnaq; ingenij laude excellentem D. Joannem Caselium Rostochianæ decus Academiæ, Candido constantiq; amore arctissimè complectar, eandemq; erga eum voluntatem quocunq; potero vnquam officio stabilitam, et ad vltimum usque vitæ spiritum conseruabo. De tuo Clampio vel nostro potius, nihil abs te tam magnificè scribi potuit, quod eius Eruditio et modestia non superet. Fortunatus fuerim cui tuæ domi tecum tam diu, tam familiariter viuere contigit, donec te talem, tantumq; bonarum mentium parentem et scientia rerum optimarum, et vitæ morumq; integritate repræsentaret. Nam noster in eodem instituendo labor iuix inchoatus fuerat, cum eum quorundam malevolentia (hoc enim vitium in multis est) ab lacte nostro depulit, et ad aliud doctrinæ pabulum duxit. Quod igitur hic adolescens sic ad amussim informatus est, ego me in huius laudis societatem non effero. hoc solum affirmo, suauissimum olim puero fuisse ingenium, meq; illa prima eius et puerili eruditione mirificè delectatum fuisse. Cæterum omnis superioribus e grege nostro Gerhardum Sartorium Oldeburgicum amandaming, pro exigua popularis Scholæ industria, non male (ut opinor) instructum. is quoad isthic ingenium feliciter excoluit, vt de Theologorum quorundam maledicentia interdum querebatur: ita D. Caselij, summam eruditionem, cum summa diligentia conuiuetam, in literis quas crebras huc mittebat, nunquam desijt depredicare. Eundem animum spero fore Hemingo Bisterueldio, et duobus Schroderis Bremanis adolescentib. qui quanquam non fecerint pares in litteris progressus, tamen ita se in vestra gerent Academia (nisi fallor) ita urgebunt studium in quo nunc sunt, vt quum agnoueritis, Molani discipulos: non possint eorum studia vobis cura non esse. Cuæ quidem res hunc habitura est amoris nostri peruberem fructum, vt a nobis isthuc missi, decurso studiorum spatio, a vobis in patriam redeant, multo tum meliores, tum doctiores. Vale vir clarissime, et Clampium familiarem tuum, olim Scholæ nostræ alumnum, meq; ipsum Clampij Causa perge amare. Ego me vtrique idem semper facturum promitto. Bremæ pridie idus Februarij. Anno CIↃ. IↃ. XXCI. puerorum Custos te coleus.

Senior.

Johannes Molanus.